DE

REGIS SALVTE SALVTIS CIVIVM CAPITE

DISSERIT

CVM

SVB FELICIBVS CORONATIONIS AVSPICIIS

SERENISSIMI POTENTISSIMIQVE

PRINCIPIS AC DOMINI

DOMINI

STANISLAI AVGVSTI

REGIS POLONIAE ET MAGNI DVCIS LITHVANIAE

DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI

PATRIS PATRIAE VERE INDVLGENTISSIMI

AD

ENCAENIA

GYMNASII DRVSICI

D. XXIX. NOV. MDCCLXIV.

INTER PVBLICA OMNIVM GAVDIA

CELEBRANDA

CIVITATIS REGIAE ELBINGENSIS

ILLVSTRI ET AMPLISSIMA DIGNITATE

FVLGENTISSIMOS

PROCERES

NEC NON RELIQVOS

QVO QVISQVE GENERIS MVNERVMQVE SPLENDORE

ET ERVDITIONIS LAVDE EMINET

MVSARVM FAVTORES AC AMANTES

DEMISSISSIME ET OFFICIOSE

INVITARET

IOANNES LANGIVS

ATHEN. RECT. P. P. ET BIBL.

ELBINGAE, TYPIS NOHRMANNIANIS.





In tanta tamque diverſa rerum humanarum viciſſitudine, ad declarandam multifariam DEI ſapientiam, triſtia laetis, amara jucundis quotidie commiſcente, ſanae utique rationi convenientiſſimum, animique virilis gravitati aequiſſimum videtur, de certo perennique publicae ſalutis principio ac ſcaturigine anxium eſſe ſollicitumque. Cum enim integritatis impetrandae cupido altas in mortalium animis egerit radices: mirum non eſt, eam omnium mentibus inhaerere curam, votumque illud, ut ex amoeniſſimo largiſſimoque incolumnitatis fonte uberrimos felicitatis hauriant rivulos, ſalusque publica omni loco omnique floreat tempore. Quae ergo communis civium ſalus cum unicum virorum, toga ſagoque clariſſimorum, deſiderium, omniumque votorum unica ſumma ac complementum ſit: illi omnino rem acu videntur tetigiſſe, qui pro ſalute, proque incolumnitate Principis non certis modo ſtatisque temporibus ac diebus feſtivis, ſed quotidie vota ſolvunt, fauſta quaevis & felicia ſolemnibus acclamationum formulis Ipſi apprecaturi. Quem enim fugit, unam Principis, qui

in

in promovenda gentium ſuarum fortuna totus, totus eſt in eadem augenda, ſalutem omnia ſuperare, omniaque ambitu ſuo continere: quippe quae in privatis deſiderantur bona, in eo conjuncta deprehenduntur omnia. Vna hinc Principis incolumnitate incolumnes, una Ejus ſalute ſalvi ſunt, quotquot Ejus imperio ſubjecti ſunt populi, gentesque omnes. Vna Principis virtute & magnanimitate ſumma rerum in tuto collocatur, & infelicia duraque, quae regionibus plerumque imminent, proſpero propelluntur ſucceſſu, ita ut publica res, ſuis erepta calamitatibus, triumphare poſſit. Neque adeo mirum eſt, Patrem Patriae Indulgentiſſimum, tot virtutum ac felicitatis publicae Statorem, ab univerſo populo & ſubjectiſſimis civibus tripudiis cumulatisque excipi laudibus.

Dum ergo ex omnium ſaeculorum hiſtoria & multis regnorum exemplis certo conſtat, ſummam regionum ac civitatum felicitatem, publicamque ſubditorum fortunam, a Principis juxta DEVM derivandam eſſe conditione, quaeritur merito: qua in re illa ab omni parte beata, certaque Regum conſiſtat ſalus?

Finge Principem, multis regionibus opibusque valentem; finge innumeris Eum armatorum copiis ac praeſidiis ſtipatum; finge Eum inſimul feliciſſimum, in altiſſimo Majeſtatis faſtigio conſtitutum & nube velatum Homerico: lubricam tamen hanc credas fortunam eſſe, ſortemque praecipitem, calamitatem caſusque acerbos & Principi & civibus Ejus ſaepe accelerantem. Conſtans e contrario & ſuprema Principis ſalus eſt, ſi ab omnibus non prudentiſſimis modo regni Proceribus & civibus, ac cujus demum cunque conditionis hominibus diligitur omnibus, ſed ſi exteri quoque Reges Principesque Eum tenerrimo affectus fraterni proſequuntur amore. Cedit quidem Alexandro M. honori non exiguo, illum, veteris terrarum orbis victorem, Europam, Aſiam atque Africam

nominis ſui conjunxiſſe fama; & quam in eo Philippus II. Hiſpaniarum Rex quaeſivit gloriam, quod in regno ſuo, per omnes, qua patet, mundi partes diſperſo, ſol nunquam oriretur, occideret nunquam? Verum enim vero illa laus, encomium illud, quod Titus, Veſpaſiani filius, deliciae generis humani vocaretur, multis modis anteponendum eſt. Amor quippe civium tutiſſimum eſt propugnaculum, aſylum praeſentiſſimum ac munimentum nullis praeſidiis, nullisque armis egens. Quemadmodum ergo amori hoc Majores tribuerunt, ut amare & amari nihil dulcius, ſuaviusque crederent nihil: ita quoque ſaluti Principis cedit, fortunamque & ejus & ſuorum promovet amor, quo fruitur, reciprocus.

Sed novum ſalutis ac integritatis Principis eſt indicium, ſi ad inſtar Salomonis, Regum ſapientiſſimi, in ſummo pacis vigore ad gubernacula imperii promotus, pacem auream, illam mentis ſerenitatem, amoris vinculum, charitatisque conſortium alit, fovet, nutrit. Hinc pacis ſemper virentis praeſtantiam multi dum agnoverunt Principes, hoc ſolum a DEO votis & precibus efflagitarunt, ut ſuis diebus quies & pax concederetur: quippe illud pacifici nomen aliis, ſive a ſapientia, ſive a fortitudine, ſive a triumpho deſumtis longe praeferendum eſſe, ſtatuerunt. Quae vero ab hac pacifica Principis fortuna in cives proficiſcitur ſalus!

Adhaec communem omnium felicitatem non magnificis murorum ſtructuris, nec numeroſa civium multitudine, ſed ſapienti ac prudenti rerum moderatione contineri, norunt omnes. Res enim publicae, ad interitum ruentes, ſapientia adhibita ſatis emendari & ad ſtatum facile revocari poſſunt meliorem. Afflictae ſane ac miſerae ſub Roboamo Iſacidarum erant res, dum Rex, calida ac callida juniorum conſilia ſequutus, exitioſam illam duodecim populi judaici tribuum promovit ſeparationem. Felix contra

tra ac laetus ſub ipſius Patré regni hujus fuit ſtatus, palaeſtinam in illud felicitatis faſtigium ſua ſapientia ita ponente, ut divitiis plenum ubique ſe proderet copiae cornu, & lapides Hieroſolymis auri argentique aequaret abundantia.

Inde nova Principis oritur ſalus, quod in alendis nutriendisque civibus ſuis exteris regionibus nihil debeat, nihil alieno coelo terraeque, ſed ex proprio ſemper agro & neceſſitati & utilitati eorum bene conſulere poſſit. Inopia enim & ſterilitate provida Patris Patriae cura profligata, fertiliſſimas annorum meſſes cives vident, & horreis annona locupletatis, de ſacietate, rerumque abundantia habent, quod glorientur. Fortunatum hinc vereque ſalvum Trajanum praedicavit Plinius, quod Roma non diutius Aegypti abundantiam ac alimenta poſceret, ſed deportatas inde meſſes illi absque civium injuria reddere poſſet.

Sed alio me vocat nobilis illa ſalutis, quae Principem comitatur fortunatum, gloria, primo utique loco ponenda. Religio chriſtiana primaria eſt & publicae & privatae unius cujusvis felicitatis cauſa, imo certiſſimum reipublicae fundamentum, quo ſublato, ingenua ſimul corruit fides, perit arctiſſima generis humani ſocietas, & excelſiſſima tollitur virtus, juſtitia, ex qua omnis omnino regnorum ac provinciarum dependet vigor atque ſecuritas. DEVM enim, regnorum ac rerumpublicarum moderatorem, a quo omnis provenit poteſtas & ſapientiae cumulus, recte agnoſcere ac ſincere colere, communis omnium ſalutis eſt initium, & quo magis illud in dirigendis ſubditorum actionibus neceſſarium, eo auguſtius Principis eſt ornamentum, & virtutes inter illius, quod lapis in annulo adamantinus.

Facile inde conjecturare licet, quae ex hac Principis conditione provenit ſalus, ad omnes derivanda cives. Sicuti enim

pro eo, quod caput inter ac membra corporis humani intercedit vinculum, ab illius incolumnitate haec vitam, succum & sanguinem trahunt: ita civium quoque salus ex fortuna Principis rite constituta, quae religionis christianae professione, rerum omnium abundantia, sapienti justitiae administratione, libertatis pacisque aureae studio, ingenui denique amoris absolvitur affectu, in dies augmenta capit uberrima.

Est, est itaque, unde & nos Poloniarum regno salutem ac fortunam reducem, Orbis Sarmatici terras exhilarantem, gratulemur. Oritur enim ex Piastis novum sidus Piasteum, & festivos inter triumphantis Poloniae plausus SERENISSIMVS POTENTISSIMVSQVE STANISLAVS AVGVSTVS liberis Procerum suffragiis in locum Divi AVGVSTI III. VII. iduum Septembris delectus, REX salutatur POLONIAE MAGNVSQVE LITHVANIAE DVX, a DEO datus, & praeterito solis die, Catharinae sacro, summa caeremonia maximoque splendore diademate regio Varsaviae ornatus.

Stupebit aliquando posteritas illam electionis ac coronationis celeritatem & tranquillitatem, nihil nisi salutaria spirantes, quarum in historiarum Sarmaticarum annalibus exemplum legitur nullum. Quanto ergo Heros Hic, ex PERILLVSTRI COMITVM PONIATOWSKIORVM sanguine prognatus, excipitur amore! Omnis enim in electionis campo praesens Sauromatum populus, (ne Exterorum mentionem faciamus,) PERILLVSTREM STANISLAVM PONIATOWSKI, Magni Ducatus Lithuaniae Dapiferum, nullumque alium REGEM SERENISSIMVM, sub STANISLAI AVGVSTI nomine venerandum, libertatis Polonicae Assertorem, & avitae gloriae sibi optabat Conservatorem, tenerrimo amoris affectu ductus, ita ut Rex superbiens per omne dicendus sit tempus: Amor Civium suorum. Monimentum omni aere omnique marmore perennius!

Sicuti

Sicuti vero amor & tranquillitas ſororio plerumque inter ſe conjuncta ſunt vinculo: ita ſub felicibus novi imperii auſpiciis in armis quoque, (quae inde tranquillitatis perpetuae ſperanda eſt ſalus!) pacem & florere & armis confirmari, crederes: quippe Illi inter arma potentiora & extranea & domeſtica amor tamen pacisque oliva ſacra eſt & religioſa. Imo quam ſalutis publicae ſpem in aequitate ac juſtitia conſervanda affert Ille, qui ita inſtitutus, ita imbutus eſt a teneris, ut REGEM POLONIAE legibus quoque obnoxium eſſe, Eundemque juſti ac recti cura fideique cultura nihil magis decere, nihil ornare magis, ſciat.

Quodſi alia porro, in ubertate regni & annonae ac alimentorum copia quaerenda, terrarum Polonicarum deſideratur ſalus: illam quoque REGIS arma gentilitia in anteceſſum promittunt ſplendida. Quid enim bovis figura, clypeis Gentis PONIATOWSKIORVM inſerta, aliud ſignificat, quam praeter laborum tolerantiam & robur ac fortitudinem, cum prudentia conjunctam, nobilem illam beneficentiam, ubertatem ac rerum abundantiam.

Maximum tandem in promovenda Civium ſalute momentum REGIS SERENISSIMI evincit religio. Vix enim in campis electionis Varſaviam inter & Volam ſitis, in quibus & reliqui creari ſolent, mira omnium laetitia, & frequenti ſolemnique voce REX proclamatus, aſcendit in Aedem parochialem, a S. Ioanne nomen trahentem, non ſolum de more, ſed pietate potius in DEVM ductus, ei pro felici electione gratias acturus, ipſiusque auxilium, ut bene & ex voto omnium regeret, ſibi exoraturus. Id quod maxima pietate, obortis lacrumis, ſubmisſisſimisque precibus ac ſupplicationibus a REGE, a Proceribus, ab Ordine Equeſtri, omnibusque praeſentibus factum eſſe, legimus.

Revireſcat

Revirescat ergo per REGEM SERENISSIMVM, STANISLAVM AVGVSTVM, antiqua nominis Polonici gloria ac pristina terrarum Sarmaticarum salus! Augeat Ille viridantem, qua nunc Patriam rebus adhuc dubiis recreavit, ad clavum Reipublicae admotus, palmam laetis semper frondibus ac trophaeis usque recentibus! Certent denique erga Eum hostes tam publici quam privati metu, Exteri veneratione, Cives amore, pietate Musae!

Dum itaque Castalidum quoque cohors suam a REGIS salute trahit incolumnitatem ac integritatem: intermittere haud quaquam possumus, quin & nos crastina festivitate, Encaeniis Gymnasii sacra, in communis totius Poloniae gaudii & supplicationum partem laeti lubentesque veniamus. Praeibimus reliquis, quantum pro temporis penuria & argumenti amplitudine fieri potest, gratulatione panegyrica, *de fortuna reduce, terras Sarmaticas exhilarante*, publice habenda.

Cui pietatis officio ut nihil dignitatis, nihil splendoris & auctoritatis desit nihil: hinc VOS, ILLVSTRIS, PERMAGNIFICI, GENEROSI, AMPLISSIMI, CONSVLTISSIMIQVE CIVITATIS PRINCIPES ET GYMNASII NVTRITORES AETATEM VSQVE DEVENERANDI; VOSQVE EXCELLENTI, PLVR. REVERENDA, CLARISSIMA, PRAENOBILI, NOBILI, SPECTABILIQVE DIGNITATE CONSPICVI MVSARVM FAVTORES AC AMATORES SVMME COLENDI, hac charta invitatoria omni, qua decet, reverentia & officiositate rogamus, ut conatibus nostris propitii volentesque adspirare, ac Gymnasium patrium, vota pro felici STANISLAI AVGVSTI, REGIS Poloniarum imperio crastina luce nuncupaturum, praesentia Vestra honorifica condecorare dignemini. Dab. Elbingae. D. XXIIX. Nov. MDCCLXIV.

